



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Duorum Rastallorum. n. 16.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

toris, Confessarij, Monitoris, & annis deinde tredecim in adolescentum conuictu subregenti officio est perfunctus. Et durauit is quidem ad annum vsque millesimum sexcentesium undecimum, Coadiutoris spiritualis formati gradum virtute & doctrina illustrans: atque annos in Societate cum numeraret quadraginta septem, ætatis prope septuaginta, in senectute bona, quam animam cum fructu ad errantes ciues suos in viam reducendos ponere potuisset, Deo reddidit Cælestibus Ciuibus inle-
rendam.

Richardus
Storey.

XIV. Eundem Coadiutoris spiritualis gradum virtute & laboribus, varijs in Prouincijs, exantlatis, ornauit *Richardus Storey*, Sarisburiensis. Nam Decimo sexto ætatis anno adscriptus in Societatem Tornaci in Belgio, inde per diuersa Collegia delatus in Germaniam, Classium inferiorum præceptis tradendis pluribus annis infudauit. Tum vocatus Lauretum, atque inde Florentiã, demum Viennæ Austriæ confedit, vbiq; & propriæ abnegationis, & humilitatis, virtutum denique solidarum quæ ab vnoquoque nostrum requiruntur, expressa linquens vestigia) vt de eo loquuntur annuæ Vienneses. Tertio deinde expeditionibus Hungaricis aduersus Turcas implicitus, cum ob singularem caritatem, quã cunctos complectens singulorum necessitatibus seruebat, omni ordini esset in delicijs, per incredibiles labores, & indefessum proximi iuuandi studium, melioris vitæ adiit hæreditatem, decimo octauo Septembris anni millesimi sexcentesimali. In diario quod sibi viuens fecerat industrius negotiator animarum, repertus est nouem mensibus, qui fuerunt eius vitæ postremi, notasse exceptas vulgi confessiones ter mille ducentas octoginta octo, non adnumeratis pluribus seu discipulorum nostrorum seu aliorum, qui totius vitæ rationes eo tempore apud ipsum deposuerant.

Annua
vienneses
1600.

Ioannes
Howlett.

XV. Similibus per Transyluaniam expeditionibus destinabatur *Ioannes Howlett* ex Rutlandia oriundus, cum Roma profectus est anno supra sesquimillesimum octagesimo sexto. Admissus fuerat Louanij anno septuagesimo primo, quo tempore *Leonardus Lessius* inter Tyrones exercebatur ad ea quæ postmodum in Societate & gessit & scripsit eximia. At noster duos supra viginti annos ætatis recensens antequam natiui soli inclementiam fugeret, in Philosophia magister fuerat renuntiatus. Tum Societatem complexus, Theologiam audiuit Duaci: atque deinde decem annos continuos partim in Belgio, partim per Germaniam, Grammaticæ, Rhetoricæ, literis Græcis & Hebraicis, Mathesi etiam & Ethicæ, & denique præceptis de conscientia tradendis incubuit: donec Vilnam Lithuanicæ delatus altero post anno defunctus est.

XVI. Duo etiam *Rastalli*, *Ioannes* & *Edwardus* ex agro Glocestrensi admissi Romæ anno sexagesimo octauo, cum nondum aperta nostris esset in Angliam via, Germanicæ iuuandæ destinati sunt. Et *Edwardo* quidem
inter

inter studia Theologica Ingolstadij perficienda quid porro acciderit incertum. At *Ioannes* Sacerdotio ante ingressum initiatus, atque Hallæ Cōsultoris & Confessarii munere perfunctus, transmissus Augustam Vindelicorum atq; deinde Ingolstadij Rector memorabili edito facinore diem clausit extremum. *Paulus Hoffseus* earum regionum Prouincialis, magii nominis atque auctoritatis vir, graui afflictus morbo, iamque postremis Ecclesiæ adiumentis munitus, vltimam in horas opperiebatur vitæ periodum: Tanti viri iacturam non facile ferendam arbitratus *Ioannes* " Quid, inquit, si me, inutile pondus, Deo pro huius vita deuoueam?) simul ad ædem Saluatoris octo millia passuum Augustam dissitam se cōsecraturus excurrit. Ratum habuit Deus Religiosum votum: Reuertentem opprimit ægritudo, & lecto affixum, iisdem passibus quibus *Paulus* à morbo conualecit, ablumit. Eoque fuit gravior hostia quo ad tantam suimet abiectionem præter vnam Dei & proximi caritatem, momenti nihil accedere poterat.

XVII His etiam Prouinciis debetur memoria *Thoma Stephansonis*, quem secundo extorem vidimus Watenis. Brunæ tamen in Morauia posuit rudimenta Societatis: Tum Olomucij, & Pragæ, Rhetoricæ, Græcis etiam & Hebræis literis tradendis annos quatuordecim expleuit. Sed altius vt repetamus huius viri labores, Natus Windletoniæ in Episcopatu Dumelmensi, postquam Rhemis primum, deinde Romæ Philosophiæ & Theologiæ operam dedisset, Sacerdotio initiatus, in messem Anglicanam auctoribus *Alanio & Personio* missus est. In Februario anni octogesimo quarti, vt inueteratum in Catholicos, eorumque in sacris adiutores odium consuetis calumniis & maledictis foueret Magistratus Hæreticus, spectatæ doctrinæ & innocentia Sacerdotes duos scelerata nece sustulerat, *Iacobum Fen* & *Georgium Haddock*: postridie eius diei capitur *Stephanonus*, & in arcem Londinensem compingitur: ad dies viginti septem humus nuda lectus fuit, alios quadraginta vno minus ferro onustus iacuit; tum anno vertente, vndecimo calendas Februarias, vnâ cum nouemdecim Sacerdotibus vinculorum sociis cogitur exulare.

Inde Romam accessit, *Personium* quædam ad Historiam adornantem aliquamdiu iuuit. Tum rursus in Angliam cum pluribus annis strenuè laborasset, demum Watenis conqueuit septuagenario maior. Horis subcisiuis vitam *Thoma Pondi* (quem infra memorabimus) ex ipsiusmet *Pondi* aduersariis iusto volumine contexuit, & plura *Personij* opera, vulgari scripta idiomate, latinè reddidit; digessit etiam historiam temporum ab mundi exordio, sed quæ exercitationi potius seruierunt quàm posteritati.

XVIII. *Ioannes Gibbonus* VVellensis Christi paupertatem iculi commodis præhabens, Societatem amplexus est Treueris, octauo Octobris anni septuagesimi octauo. Studuerat Philosophiæ & Theologiæ in Collegio Germanorum Romæ, eo progressu vt in vtraque Lauream

Memorable vortum
prosalute.
Prouincia:
lis.
Annucet
Ingolsta-
dij anno
1600.
vide Zac.
chinum
3. p. Hist.
1. 5. n. 106.

Thomas
Stephansō

Ira Ribadē
neira l. 2. c.
38.
Alij Iuniū
pro Ianua
rio signant

Ioannes
Gibbons,